



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. CCCLIII. De Aedificatione civitatum plurium & Castrorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

rit, quod nunquam aliam legem vellat assumere, præter eam, in qua progenitores sui decesserunt. Hoc idem etiam nuncii prædicti ita esse coram omni multitudine veraciter affirmabant. Quo auditio Legati cum dictâ responsione ad sedem Apostoli-
cam sunt reversi.

CAP. CCCLIII.

De

Ædificatione ^(a) civitatum plurium &
Castrorum.

Anno Domini MCCCXXV. (b) Henricus de Ysenberg Commandator de Konigsberg de llicentiâ & mandato Reverendi Viri Fratris Wernerii Magistri Generalis, Viri unique solliciti & intenti circa injunctum sibi officium, ad dilatan-
dum terminos Christianorum, ædificavit & per-
fecit in die B. B. Perri & Pauli Apostolorum in terra Barthensi
castrum Gindavviam. Eodem anno & tempore Eberhardus
Episcopus Warmiensis per fratrem (c) Fridericum de Libence-
le Advocatum suum in terra Galindia in littore fluminis Pisse
ædificavit Castrum Warthenberg, quod castrum dum esset perfe-
ctum, & de spiritu S. missa solemniter cantaretur, apparuit in-
fra Evangelium una columba albissima domestica. Sed in priori
Castro scilicet Gerdavia, dum etiam missa celebraretur, & post
missam apparuerunt duæ Columbæ volantes infra Castrum &
supra mœnia. Prutheni autem qui huic ædificationi interfue-
runt asserebant veraciter, quod in hac Vasta solitudine nunquam
columbas domesticas vidissent. Præterea idem frater Frideri-
cus in territorio Glottoviae in medio fluminis Alle civitatem
dictam Guthstatt. Et Jordanus Præpositus Warmiensis castrum
dictum:

Anno Domini
MCCCXXV. in
Italia de parte
Gelphorum mul-
ta millia per Ge-
bellinos sunt ac-
cisa.



dictum Plut, circa civitatem Meelsak. Et Rudolphus Episcopus Pomesaniensis civitatem, dictam **Bischofswerder**/supra littus Osse. Et frater (d) Lutherus Provincialis Colmensis terræ, super littus Driyance Civitatem, quæ Novum forum dicitur, (e) construxit.

ANIMADVERSIONES.

- (a) Quod Ordo tot urbes condere potuerit, hanc causam fuisse perhibet Simon Grunovius: Gesserat Gediminus Magnus Dux Lithuaniae cum Cruciferis in Prussia & Livonia quamplurima bella. Cum vero bellorum jam esset pertæsus, aliterque Lithuaniae suæ consuli non posse cerneret, scripsit svasu quorundam Masoviorum ad Pontificem Romanum, se non abhorrere à Christianorum sacris, quominus verò ea reciperet, obstatæ perpetua cum Cruciferis bella. Pontifex acceptis illis literis imperavit Ordini, ut in tres annos cum Sedimino inducias pacifceretur, quo temporis spacio Gediminus in Christiana Religione informari sacroque baptismatis fonte ablui posset: Durantibus ergo induciis, dum per turbas externas licuit, adhibitæ ad labores publicos Lithvanis bello captis, tot civitates de quibus hoc & sequentibus capitibus agitur, sunt exstructæ. *Vid. Grunov. Tr. XI. cap. 12. fol. 193. seq.*
- (b) Heidrich habet Grunov. l. c. refertque hunc Heidricum ab Eisenburg, ut ipsum vocat, non tantum Castrum Girdaviense, sed etiam Civitatem Girdavensem condidisse.
- (c) Grunovius de Wartenburgo nihil. *loc. cit.* habet; sed dicit, Henricum de Liebenthal condidisse Lipstadium civitatem. Fortasse ipsum nominis similitudo fecellit.
- (d) Hoc Grunovius tribuit Rutgero de Wolkenstein; sed Dusburgio, cuius tempore hac contigerunt, fides est habenda.
- (e) Addit plures Civitates Grunovius, de quibus neque in hoc neque in proximè sequentibus capitibus fit mentio. Dicit enim Wernerum Magistrum eo tempore condidisse civitatem Neuteich. Fr. Heinrich de Schrotenthal civitatem Deutsch en Eylau: Arnolphum de Eilenstein civitatem Preusch Elau: Fr. Leopoldum Wulffacharem Prauschmarcum. Fr. Gebhardum de Grechya Hohensteinium. Fr. Leopoldum Sehfelt Salfeldiam. Alias vero civitates,

vitates, quarum Dusburgius meminit, Grunovius omittit, ut Wittenbergam, pro qua substituit Liebstadiam. Item Gutstadium, Melsacum, Bischofsverderam. Neque de Ylenburgo *de quo cap. 305.* quicquam habet,

CAP. CCCLIV.

*De**Vastatione terræ Marchionis de Brandenburg & morte & captione sex millium Christianorum.*

Anno Domini MCCCLXXVI. (a) Loteko Rex Poloniae rogavit Gediminum Regem Lethovvinorum, cum filiam ejus noviter duxerat in uxorem, ut ei aliquos armigeros de gente sua mitteret, qui precibus ejus acquiescens, MCC. equites destinavit ei. Hi de mandato dicti Lotekonis adjuncti populo suo armata manu hostiliter intraverunt terram Marchionis de Brandenburg circa Civitatem Frankenfordam, & totam illam contractam, quæ continebat ultra centum & XL. villas Ecclesiæ Parochiales totidem, cœnobia monachorum Cisterciensis tum & claustra sancti monialium duo, & plura religiosorum & secularium monasteria, spoliis & incendio destruxerunt; inhumaniter religiosos & sacras Deo dicatas virgines de claustris extrahentes, ministros Ecclesiæ & Sacerdotes, vasa sacra, vestes & Sacra menta alia pertractantes. Occiderunt viros, sed mulieres & nobiles matronas multas cum virginibus & parvulis captivas deduxerunt. (c) Inter has virgines una fuit nobilis, quæ propter eminentiam pulchritudinis suæ parem non habuit, pro qua habenda fuit dissensio magna inter Lethovvinos; sed ne altercatio invalesceret

*Anno Domini
MCCCCLXXVI. Rex
Ungarie de Ex-
ercitu Tartaro-
rum, qui Regnum
suum depopula-
verant, XXX.mil-
lia interfecit.*

Fff

inter